

libros. Ratio est, quia manuscripta etiam veniunt nomine libri, prout libri dicebantur antequam typographia inventa fuisse, et nunc etiam communiter in Rituali appellantur libri codices Parochorum ad Baptismata, vel Matrimonia referenda. Huic sententiæ magis adhæret *S. Lig.*, ut ipse fatetur *n.* 293.

1136. — *R. ad 2^m Quæs.* LUCAS non videtur incurrisse in excommunicationem Bullæ, Papæ reservatam, ob lectionem epistolæ quæ ab hæretico composita videtur, cum erroribus sit referta. Ratio est, quia epistola non dicitur liber. *Ita Sanch. et alii.*

1137. — *R. ad 3^m Quæs.* An in censuram incurrerit ob lectionem præfixi moniti libro hæretico? — *R.* Facillime eam contrahere potuit, quia generatim hujusmodi monita seu prœœmia errorem continent, et sunt periculo plena. Etenim ordinarie error prima fronte aperte docetur, vel saltem dolose et fucate innuitur. Proinde, licet exigua pagella legatur, venenum tamen mox exhaustur, et materia gravis evadit. *S. Lig. n.* 292.

1138. — *R. ad 4^m Quæs.* 1^o LUCAS excommunicationem non contraxit librum hæreticum retinendo, ignorans illum esse sub censura prohibitum: imo idem dicendum, si id ex ignorantia vincibili et etiam crassa fecerit, quia in Bulla dicitur: *scienter*. — 2^o Neque incurrerit in censuram, si ad unam vel alteram diem retinuit librum, postquam admonitus fuerit illum retineri non posse, quia videtur tunc dari materiæ parvitas. Secus vero, si pluribus aliis diebus retinuerit. *S. Lig. n.* 295, 296. — 3^o Neque censuram contraxit librum comburendo, si in hoc loco non vigeat Inquisitio, quia liber qui comburitur non retinetur. Attamen comburens, cognita *Julii III* prohibitione, a peccato et quidem gravi excusari nequit, cum Pontifex id prohibuerit in nomine sanctæ obedientiæ. *S. Lig. n.* 299.

CASUS VII.

CLAUSURA RELIGIOSA.

1^o JUSTINA, Monialis, levitate abrepta, subiens eam partem rotæ quæ intra monasterium patebat, in oppositam seu exteriorem partem volvit; ac eudem situm et locum intra ligneum illum orbem retinens, mox intro revolvitur.

2^o DAMARIS, alia Monialis, in ostio monasterii aperto insistens, crus integrum extra januam effert. Alias in ostii limine consistens, caput et superiore corporis partem extra illud protendit.

HINC:

- QUÆR. 1^o *An JUSTINA excommunicationem contraxerit?*
 2^o *An DAMARIS in duplici casu?*
 3^o *An violantes clausuram Monialium in Gallia excommunicatione innodentur?*

SOLUTIO :

1139. — *R. ad 1^m Quæs.* JUSTINA videtur censuram contraxisse. Ratio

est, quia reapse exivit extra septa monasterii; quod sic probatur: 1^o Ille locus censendus est extra septa monasterii, ad quem accessus impune laicus datur. Atqui laici impune accedere possunt ad illum locum, quo JUSTINA rotam versans delata est. Ergo illa exivit e septis monasterii, ergo in censuram incurrerit.

2^o Si Monialis ibi consistens non censeretur esse extra clausuram, jam intra clausuram reperiri possent tum Moniales, tum externi: hoc autem evidenter est contra mentem Pontificis, qui leges clausuræ statuit cum pœnis earum violationi annexis, siquidem voluit præcavere pericula quæ occurrerent, si Moniales cum externis in eodem loco consistere possent. Ergo revera JUSTINA censemur clausuram violasse.

3^o Res posita in rota quando ejus aditus exterius patet non dicitur adhuc in monasterio esse, nec censemur intra monasterium, nisi quando, rota circumvecta, ad septa pervenit, atque in Monialium potestate habetur. Ergo Monialis extra clausuram circumvecta est; ergo incurrerit in excommunicationem. *Comitolus, l. 3, quæst. 3.*

1140. — *R. ad 2^m Quæs.* DAMARIS non videtur contraxisse censuram, neque in primo, neque in secundo casu. Etenim ad clausuram violandam ex parte Monialium requiritur egressus e monasterio: atqui non censemur e monasterio egredi illa Monialis quæ pedem unum tantum ponit in limine januæ, seu extra januam, neque ea quæ caput aut partem corporis superiorem extra solium monasterii protendit; nam egredi non dicitur Monialis nisi toto corpore extra januam exstet. Ergo DAMARIS ab excommunicatione excusanda est. *S. Lig. n.* 229. — *Sanchez, etc.*

1141. — *R. ad 3^m Quæs.* Neg. *probabilius.* Ratio est, quia in præsentibus rerum adjunctis non agnoscantur Moniales proprie dictæ. Igitur leges penales quæ feruntur in violantes clausuram Monialium, ibi locum non habent. Proinde neque Moniales e monasterio egredientes, excommunicationem contrahunt. *P. Gautrelet, Traité de l'état religieux, t. 1, p. 2, c. 2.* — *V. Comp. de Statibus, n. 181; de Censuris, n. 1004.*

CASUS VIII.

SUSPENSIO.

1^o GRATIANUS, Parochus, ob quoddam delictum, ab officio, Ordine et etiam a beneficio ab Episcopo suspensus fuit. Eadem autem die qua suspensionis decretum accepit, ad infantem baptizandum advocatus est; quod et fecit. Die vero sequenti Sacrum fecit. Postea perrexit ad aliam diœcesim, ubi plures celebravit.

2^o GASTO, Sacerdos, nescio qua de causa, ab audiendis confessionibus per semestre suspenditur: nihilominus pergit ille Sacrum facere, baptizare, S. Eucharistiam et Extremam Unctionem conferre, imo etiam confessiones extra parochiam excipere.

HINC:

- QUÆR. 1^o *Qualis sit suspensionis efficacia?*

- QUÆR. 2º An GRATIANUS potuerit sine nota irregularitatis baptizare et Sacrum facere, accepto suspensionis decreto?
 3º An potuerit extra diœcesim celebrare?
 4º An GASTO potuerit Sacraenta ministrare?
 5º An potuerit confessiones extra parochiam excipere?

SOLUTIO :

1142. — R. ad 1º Quæs. Suspensio quatenus est censura privat Clericum ad tempus, ex parte vel ex toto, usu potestatis quam habet ratione Ordinis, officii et beneficii. V. Comp. n. 1032.

1143. — R. ad 2º Quæs. 1º GRATIANUS non peccavit, nec irregularitatem contraxit infantem baptizando, si ad manum non habuerit alium Sacerdotem, v. g. Vicarium aut Capellanum, qui id peragere posset. Ratio est, quia tunc ipse debuit Sacramentum Baptismatis conferre, urgente necessitate et infamiae periculo. Secus autem dicendum est, si aliis adfuit qui loco ipsius munus baptizandi adimplere posset.

2º Pariter distinguendum est quoad Sacrum. Etenim, si necessario celebrare debuerit, sive pro populo, sive alia de causa, aut ad vitandum infamiae periculum, nec adfuerit aliis Sacerdos qui celebrare valeret, tunc non peccavit Sacrum peragendo, ideoque non contraxit irregularitatem; quia Ecclesia, pia mater, non censetur velle pœnam suspensionis infligere cum tanto incommode. Secus vero in alia hypothesi. Ita communissime Theologi, inquit Elbel, n. 132.

1144. — R. ad 3º Quæs. GRATIANUS toties peccavit graviter quoties celebravit extra diœcesim, et irregularitatem contraxit. Ratio est, quia suspensio est pœna personalis, et proinde suspensus in uno loco est quoque suspensus in alio loco, etiam extra diœcesim. Supponitur autem non adesse periculum publici scandali, aut infamiae, si abstineret a Sacro quotidie faciendo. Elbel, n. 134. — Layman, etc.

1145. — R. ad 4º Quæs. GASTO minime peccavit, nec proinde irregularitatem incurrit, Sacrum faciendo, et Sacraenta, exclusa Pœnitentia, ministrando; quia non erat suspensus totaliter ab officio, sed tantum ab administratione Sacramenti Pœnitentiarum. Ergo licite potuit alias officii sui functiones obire, quin irregularitatem incurreret. Sacerdos enim suspensus cum restrictione, prohibetur tantum id facere quod verbis prohibitionis exprimitur. Secus vero de eo qui sit suspensus simpliciter, quia tunc indistincte suspensus censetur, seu tum ab officio, tum a beneficio.

R. ad 5º Quæs. GASTO non potuit neque licite neque valide confessiones excipere extra parochiam, licet antea ad totam diœcesim approbatus fuerit, quia erat suspensus nominatim denuntiatus: ergo per legitimam suspensionem jurisdictione actuali privatus est. Suspensio enim non afficit locum, sed personam immediate: ergo, ubicumque hæc existat, manet ligata donec legitimate absolvatur. Secus est de beneficiato qui beneficia in variis diœcesibus habet; hic enim si suspendatur a beneficio ab Episcopo hujus diœcesis, non censetur suspensus a beneficio quod habet in alia diœcesi, quia sententia pœnalista eo non se extendit. Voit, n. 1434.

CASUS IX.

SEPULTURA ECCLESIASTICA.

Plures Parochi inter se confabulantes, de sepultura ecclesiastica sermonem habent :

1º PAULUS ait : « Adii quondam moribundum a multis annis a Sacramentis alienum. Nunquam potui illum ad confessionem inducere; cum ego unicus testis repulsæ fuisse, et æger esset jamjam moriturus, rem nemini dixi, ad familiæ contrastationem et ad publicum scandalum vitandum, et defunctum cum bona pace in terra sancta sepelivi. »

2º MARCUS vero, vice sua, sic alios affatus est : « Et ego olim adii virum haereticum infirmum, in mea parochia habitantem. Mihi visus est in bona fide versari, et credere quemque christianum in sua Religione salvari posse, ac timore humano a Religione catholicæ retrahi. Quæsivi an absolvi vellet a peccatis, paratusque foret Religionem catholicam amplecti, si sciret suam esse erroneam, eumque annuentem, de peccatis in genere se accusantem absolvi, et postea mortuum, potentibus cognatis, cum catholicis sepelivi. »

3º PHILIPPUS ait : « Habui virum probum quidem, sed tristem, in mea parochia. Hic vespere se quieti nocturnæ commisit cum aliis; mane inventus est laqueo suspensus et mortuus. Ego secreto admonitus, rem alto silentio premens, simulavi virum morte repentina decessisse, et eum more aliorum sepelivi. »

HINC :

QUÆR. 1º Quibusnam competit sepultura ecclesiastica, et quibus non competit?

2º An predicti Parochi recte egerint?

3º An infantes haereticorum baptizati sive a Pastore catholicæ sive ab haeretico, in cæmeterio catholicorum sepeliri possint?

SOLUTIO :

1146. — R. ad 1º Quæs. Sepultura sacra donandi sunt omnes catholici qui ea non sunt effecti indigni juxta sanctos Canones. Privandi autem sunt sepultura ecclesiastica infideles, apostatae, haeretici, excommunicati publici et notorii, nominatim interdicti, suicidæ, duellantes, peccatores publici qui in impenitentia decesserunt, et peccatores qui in actu criminis mortui sunt, si delictum sit certum et publicum. V. Comp. n. 1059. — Gousset, de Extrema Unctione, n. 636.

1147. — R. ad 2º Quæs. In primo casu, recte egit PAULUS impietatem moribundi occultam dissimulando, et permittendo ut cognati et alii crederent eum fuisse absolutum. Debent enim vitari scandala quantum fieri potest. Sic interpretanda est lex Ecclesiæ, quia secus non in ædificationem, sed in destructionem cederet. Igitur peccatori impenitenti nun-

quam deneganda est sepultura ecclesiastica, nisi de impenitentia publice constet; modo tamen aliquod scandalum non sit reparandum necessario. *Gousset, ibid.* — *V. Comp. n. 1061.*

1148. — *In secundo casu* : minime vituperandus videtur MARCUS, si prudenter timuit ne pravus exitus succederet, virum hunc haereticum ad Fidem catholicam directe amplectendam inducendo, ut facile evenire potest. Insuper absolutio ipsi tali modo impertita non appareat invalida, cum probabiliter adsint omnia ad Sacramentum Poenitentiae requisita. Sic *Elbel, de Pen. n. 213.* — *Lacroix, l. 6, part. 2, n. 1866. Recole dicta supra de Confess. n. 490.* — Quod autem ad sepulturam sacram attinet, imprimis scandalum fidelium tollendum erat, declarando nempe illum haereticum in Religione catholica mortuum esse. Nec recursus ad Episcopum fuerat omittendus, si haberri potuerit.

1149. — *In tertio casu* : bene fecit PHILIPPUS, et proinde laudandus. Ratio est : 1º quia, cum suicidium fuerit secretum, non erat patefaciendum cum infamia suicidæ, ejusque familiæ, ut legi Ecclesiæ obtemperaret; Ecclesia enim in hujusmodi casibus præceptum suum urgere minime censetur; 2º quia, cum vir ille fuerit maxime in tristitiam proclivis, potuit Parochus cum sufficiente fundamento suspicari eum in amentiam ob melancholiæ cecidisse. Ergo laudabiliter egit PHILIPPUS hominem in terra sancta sepeliendo.

1150. — *R. ad 3^m Quæs.* *Affirmative*, absque difficultate. Baptismus enim est Christi et Ecclesiæ veræ, seu catholicæ; ergo præfati pueri ad Ecclesiam omnino pertinent. Sunt enim vere de corpore Ecclesiæ effecti per Baptismum, neque per errores ab ea separati sunt. Nec obstat quod a ministro haeretico forte baptizati sint, siquidem hoc validitatib[us] Baptismi officere nequit.

CASUS X.

INTERDICTUM 1º.

1º MAXIMINUS, Episcopus, interdictum tulit in omnes Ecclesias et incolas alicujus civitatis, gravissima de causa. Attamen AEMILIUS, Parochus, Viaticum et Extremam Unctionem moribundo ministravit, et plura benedixit matrimonia.

2º NATALIS, Parochus, in civitate ubi incolæ interdicto generali subjiciuntur Baptismum et Viaticum pluribus parochianis ministravit; imo et Viaticum ad moribundum cum ordinaria solemnitate attulit.

HINC :

- QUÆR. 1º *Quid et quotplex interdictum?*
2º *An interdictum violaverit AEMILIUS in primo casu?*
3º *An NATALIS in secundo casu?*

SOLUTIO :

1151. — *R. ad 1^m Quæs.* 1º Interdictum est poena spiritualis, qua usus

divinorum Officiorum, aliquorum Sacramentorum et sepulturæ sacræ certis personis, aut in certis locis prohibetur. Hinc interdictum est personale, aut locale; generale, vel particulare.

2º Interdictum *particulare* non cadit nisi in personas, aut in loca designata. Interdictum *sine limitatione* in aliquod totum, omnes ejus partes afficit. *V. Comp. n. 1052,*

1152. — *R. ad 2^m Quæs.* AEMILIUS in *primo casu* non violavit interdictum, ministrando Viaticum moribundo, quia semper licet conferre Sacramentum Eucharistiæ fidelibus in periculo mortis versantibus, sive interdictum sit *locale* aut *personale*, *generale* aut *particulare*. 2º Violavit autem interdictum ministrando Extremam Unctionem, quia illud Sacramentum in interdicto generali prohibetur, utpote minoris necessitatis. Attamen posset conferri ægroto qui Sacramentum Poenitentiae recipere non posset. 3º *Probabilius* autem non violavit interdictum benedicendo matrimonia, quia hoc Sacramentum quad substantiam, non ab Ecclesia, sed ab ipsis contrahentibus ministratur. *S. Lig. n. 334.* — *Pontas, verbo Interdiction, cas. 9.* — *Collet, adnotator in Pontas. ibid.*

1153. — *R. ad 3^m Quæs.* Neque NATALIS violavit interdictum in *secundo casu*, quia semper licet ministrare Baptismum in tempore interdicti; Sacramentum enim illud est primæ necessitatis. Nec prohibetur Viaticum, ut modo in responsione ad 1^m cas. dictum est. Nec obstat quod hæc Sacraenta cum solemnitate consueta ministraverit, quia Constitutio *Alma Mater*, solemnitatem in Officiis divinis prohibens tempore interdicti, nihil dicit de solemnitate de qua hic agitur. Præterea, ex reg. *Juris 15, in 6º, plus semper in se continet quod minus est;* porro Jus verbis generalibus permittit administrationem Sacramentorum prædictorum absque restrictione. Ergo censetur etiam permittere ut consueto ritu conferantur. Insuper, cæmoniæ sunt veluti accessorium in collatione Sacramentorum; accessoriū autem sequitur principale. *Reg. 43, ibid.* — *Pontas, ibid, cas. 10.*

CASUS XI.

INTERDICTUM 2º.

1º FIRMINUS Parochus, confessiones plurium fidelium exceptit, licet incolæ loci interdicto generali subjicerentur, nec ulla urgeret necessitas.

2º EXUPERIUS, Parochus, publicam habuit concionem in sua Ecclesia die festivo Patroni, adstantibus plerisque parochianis, licet Ecclesia illa cum incolis interdicta fuerit. Postea autem inquirit an interdictum violaverit?

3º JUSTINUS, Parochus, Missam celebravit in Ecclesia parochiali, licet Sacellum aliquod ejusdem Ecclesiæ, et adjacens cœmeterium ab Episcopo, nescio qua de causa, interdictum fuerit.

HINC :

- QUÆR. 1º *An FIRMINUS violaverit interdictum in primo casu?*
2º *An EXUPERIUS in secundo casu?*
3º *An JUSTINUS in tertio casu?*

SOLUTIO :

1154. — *R. ad 1^m Quæs.* Neg. FIRMINUS enim ab omni culpa excusandus est, quia Ecclesia, non obstante interdicto, permittit administrationem Baptismi, Confirmationis et Pœnitentiæ, dummodo fideles qui ea petunt excommunicationi non subjaceant, aut nominatim interdicti non sint. Imo nec ulla datur exceptio, urgente mortis periculo, in quo etiam licet S. Viaticum ministrare, ut supra dictum est. Attamen pro Baptismo non admittendi sunt in Ecclesia nisi illi soli qui ad ejus solemnitatem requiruntur. *Pontas, ibid. cas. 11.*

1155. — *R. ad 2^m Quæs.* Neg. pariter. Ratio est, quia, licet Officia divina prohibeantur in Ecclesia, stante interdicto generali, conciones tamen minime vetantur, cum sub nomine Officiorum non comprehendantur. Insuper prædicatio divini verbi prohiberi nequit; secus enim impediretur instructio christiana, adeo fidelibus necessaria, nec daretur modus peccantes ad meliorem frugem revocandi. *Pontas, verbo Interdiction, cas. 12.*

1156. — *R. ad 3^m Quæs.* Quid vero de JUSTINO? Absolvendus. Etenim 1^o non peccavit concionando, quia, etiamsi tota Ecclesia sit interdicta, et in ea prohibeantur Officia divina, ut Missa, Horæ canonicæ, benedictiones, prædicatio tamen nunquam interdicitur, ut declaravit *Inn. III, c. 43, de Sent. excom.* Ratio est, quia, si populus privaretur piis instructionibus, medio præcipue efficaci ad meliorem frugem percipiendam careret.

2^o Neque peccavit JUSTINUS celebrando in Ecclesia, licet aliquod Sacellum hujus Ecclesiæ cum cœmeterio esset interdictum : nam, juxta reg. Juris, *principale non sequitur accessorium*; sed vice versa *accessorium sequitur principale*. Igitur, si Ecclesia esset interdicta, Sacella particulaaria ejusdem et cœmeteriorum adjacens etiam interdicto subjicerentur ; at non contra. *S. Lig. n. 330.* — *Pontas, ibid. cas. 12 et 13.*

BIBLIOTECÆ
SOCIETATIS
THEATINORUM
PARISIENSIS

CASUS

DE IRREGULARITATE

SEU

De irregularitate in genere; de irregularitate ob defectum corporis, natalium, lenitatis, ob bigamiam, ob violationem censuræ, ob homicidium.

CASUS I.

IRREGULARITAS IN GENERE.

ANATOLIUS, puer duodecim annorum, ut solus hæres esset parentum suorum, fratrem suum adhuc infantulum, digito in os intromisso, suffocavit. Peracta postmodum de hoc crimine pœnitentia, operam dat studiis, ut Sacerdos evadat. Absolutis autem studiis, et jam Sacerdos ordinatus, legit in Theologia homicidas irregulares esse. Quid tunc faciet miser? a quo dispensationem ab irregularitate impetrabit? Nescit quo se vertat. Donec autem occasionem habeat interrogandi de his Theologum sibi notum, Missam celebrare pergit.

HINC :

- QUÆR. 1^o *An impuberes in irregularitatem ex delicto incurrant?*
 2^o *An ignorans irregularitatem ex delicto ab ea excusat?* *An etiamsi de homicidiis agatur?*
 3^o *An ANATOLIUS celebrando cum dubio de irregularitate peccaverit, et in pœnam incurrerit?*
 4^o *Quis ab irregularitate dispensare possit?*

SOLUTIO :

1157. — *R. ad 1^m Quæs.* Certum est impuberes contrahere irregularitates ex defectu, quarum sunt capaces, v. g. ex defectu natalium, etc. Controvertitur autem an contrahant irregularitatem ex delicto. Nihil in jure clarum reperitur. Multi affirmant cum Sanchez, quia jus neminem excipere videtur, nisi infantes non septennes; multi cum Castropalao excusant omnes impuberes ob omnibus pœnis, excepta pœna percussionis Clerici, et violationis clausuræ Monialium. *Reuter, de Censuris, n. 269.* — *Lacroix, etc.*

1158. — *R. ad 2^m Quæs.* In primo casu *Affirm. probabilius*, quia irregularitas ex delicto habet rationem pœnæ. Ita *communissime*, ait *S. Lig. n. 350.* In secundo casu *Neg.*, quia casus homicidii excipitur propter specialem indecentiam quam inducit. *S. Lig. ibid.* Igitur ad contrahendam irregularitatem ex delicto requiritur scientia legis sub hac pœna prohibentis, excepto tamen homicidii casu.